



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

V. De ordalio se sistere spondentibus. Li. Sax. cap. 23. Iorn. cap. 30.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ANNO CHRISTI
918. 120. solidorum numeratione earum eas cognati custodia liberanto, atque cognatis interfecti iustum capitum eius estimationem pendunto. Illæ vero se id genus sceleris in posterum non perpetraturas esse fideiustores adhibento. Eadem habetor incendiariorum ratio, & eorum omnium qui a iuris feueritate prædones vindicare studuerint. Imo si quis furem liberare contenderit, et si quidem nemini vulnus impresserit, regi tamen eo nomine 120. solidos numerato.

IV.

Præterea autem statuimus, ut vñus per omnem ditionem nostram atque idem sit nummus, eumque nemo extra opidum cudito. Atqui si monetariorum quisquam nummos corruperit, ei manus scelere violata præciditor, atque nummaria conspicienda fabrica affigit. Sin nummi adulterati postulatus aliquis criminis suspicionem diluere voluerit, carentis ferri quæstione manum sceleris puram atque immunem ostendito. Quin si ipsa ordalii sententia reus extiterit, ita vti antea a nobis dictum est fiat.

Cantuaria monetarii septem sunt, quorum quidem quatuor regi, duo præsuli, ac vñus cœnobiarachæ deseruit. In ciuitate Roffensi tres sunt: regis duo, tertius episcopi. Londini sunt monetarii octo, Vintonia sex, in vico Levvisio duo, in vico Aaftingo vñus, Cicestriæ vñus fit, Hamtonæ duo, Vverhamiæ duo, Excestriæ totidem, Schafesbyriæ duo, ad aliud quodque opidum monetarius vñus esto.

V.

Qui se ordalii quæstione examinandum obtulerit, triduo quam id sit aggressurus, sacerdotem, ut is sacra de more peragat, adito, atque interim pane, sale, aqua, & oleribus tantummodo vescitor, Missæ præterea illis ipsis diebus interesto, munusque suum offerto. Sub ipso autem quo est ordalium ingressurus die, panem eucharisticum sumito, ac iureiurando se illius de quo appellatur sceleris purum minimeque conscienti iurato. Tum si aqua gelida facienda est quæstio, ad sesquiulnam funis in aquam mergitor. Sin ferro fiat cadenti, per continuum triduum ob-signanda non resignetur manus. Accusator autem, quem-

Concil. Tom. 25.

D

admodum de accusato antea a nobis dictum est, iure iurando interposito criminationem persequitor, vterque etiam iussu Dei ac sacerdotis iejunato, nec pluribus quam duodecim alteruter stipatus aduenito: quin si accusatus pluribus eo comitatus acceperit, perinde sit (ni illi discedant) atque is in iudicio cecidisset.

V I.

Si quis testato rem aliquam mercatus fuerit, quam alias deinceps quisquam suam esse contenderit, eam vendor præstet, atque in se recipiat, siue is seruus, siue ingenuus fuerit.

Die autem dominico nemo mercaturam facito: id quod si quis egerit, & ipsa merce & triginta præterea solidis mulctator.

V II.

Si quis falsum iurasse conuictus fuerit, ei postea non modo non creditor, verum sacra is etiam prohibetur sepultura, nisi quidem illius in qua is degit diœcesis episcopus, data ei in mandatis omnia modeste confecisse illum significarit. Episcopum autem loci illius sacerdos, num alter animo libenti corrigi se se atque emendari patietur, intra triginta dies certiorem facito: id quod ni fecerit, episcopum penes poenæ arbitrium esto.

V III.

Porro autem si præpositorum quisquam mandata hæc nostra exequi noluerit, aut in administratione sua fuerit remissior, suæ in regem contumacia poenas luto, atque rex feueriorem alium in hoc munere substituet. Mulctæ autem capienda munus eius loci in quo degit præpositus episcopo imponimus. Si quis denique iussa ac scita hæc nostra contempserit, pendito primo libras quinque, secundo proprii capitis æstimationem dato, tertio, si deliquerit, fortunis suis omnibus mulctatus nostri omnium amicitia priuator.

I X.

Decreta actaque sunt hæc omnia in celebri Grateleano Conclilio, cui Vulfhelmus interfuit archiepiscopus, & cum eo optimates ac sapientes ab Athelstano euocati frequentissimi.